

SCRIPTA

Numéro Scripta : 451

Auteur(s) : Robert II du Neubourg, Rouen (doyen chapitre cathédral)

Auteur(s) : Rouen (chapitre cathédral)

Bénéficiaire(s) : Jumièges, Saint-Pierre (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1184

Lieu d'émission : Rouen

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

Confirmation par Robert, doyen, et le chapitre de l'église de Rouen, de la donation faite à l'abbaye de Jumièges par Guerrier de Genainville de deux parts de la quatrième partie de deux moulins situés au-dessus et au-dessous de Genainville, avec tous les droits qu'il y pouvait prétendre, d'un marais pour y établir un étang, de deux champs dénommés *Cultura Prati* et *Vallis Wiburgis*, et de plusieurs autres biens.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Vernier Jules-Joseph, *Chartes de l'abbaye de Jumièges (v. 825-1204)*, Rouen-Paris, Lestringant-Picard (Société de l'histoire de Normandie), 1916, 2 vol., n° CXXXVII, t. 2, p. 72-74.

Dissertation critique

« du 1er avril [1184] au 20 avril 1185 » d'après J.-J. Vernier.

Texte établi d'après a

Omnibus ad quos presens scriptum pervenerit, Robertus, Rothomagensis ecclesie decanus, et ejusdem ecclesie capitulum, salutem in Domino. Ad omnium noticiam volumus pervenire quod Guericus de Genesvilla dedit beate Marie et beato Petro et ecclesie Gemmeticensi in perpetuam elemosinam duas partes quarte partis molendinorum, quorum alter in superiori parte de Genesvilla situs est et alter in inferiori et dicitur molendinus Prati, et quicquid juris in predictis molendinis habebat cum ea parte calceie que in terra sua sita est. Dedit etiam et mariscum qui interjacet calceie et alneto suo, tantam habens latitudinem que ad stagnum ibidem faciendum possit sufficere, cujus scilicet stagni latitudo extendetur a fluviolo inter Culturam Prati et mariscum decurrente usque in campum suum qui est supra fontem Martini secundum altitudinem predicti fluvioli et calceie prati. Licet etiam monachis ut aquam stagni in alnetum Guericici redundare faciant quantum voluerint, sine detrimento alneti. Quod si in predicto marisco aliud quam stagnum facere voluerint, prout libebit sicut in suo proprio licebit. Addidit etiam agros duos, quorum alter vocatur Cultura Prati, alter Vallis Wiburgis, et duas partes tocus tenementi Johannis Tassel, et duas partes arpentis in quo manebat Wibertus Ridel, et duas partes dimidii arpentis quod tenebat Willelmus, frater Ascelini, duas etiam partes vinearum quas apud Trelum habebat ; quod si Guericus a domino de quo tenet vineas impetrare non poterit ut monachi eas habeant, excambium equivalens dabit eis in tenemento quod de illis habebat apud

Genesvillam. Hanc donationem fecit cum Guerrico Paganus, frater ejus unicus, et sorores eorum, Legarda scilicet primogenita et Eremburgis junior, simulque cum eis filii et filie earum, cum Hugone de Bukegni, Legarde sponso. Facta est autem solempniter hec donatio in presentia nostra, ipso Guerrico cum Pagano, fratre suo, hec omnia cum omnibus libertatibus et consuetudinibus ad omnia prefata pertinentibus ad opus ecclesie Gemmeticensis in manu nostra resignante. Tactis etiam sacrosanctis evangeliis, juraverunt predicti fratres et Hugo sororius eorum cum duabus sororibus se omnibus diebus vite sue Gemmeticensi ecclesie omnia supradicta pro posse suo ab omni inquietatione et molestia protegere et conservare. Ne igitur longo temporum tractu a memoria cadat aut aliqua malignatione turbetur quod sub presentie nostre auctoritate celebriter actum est, suprascriptam donationem scripti presentis attestacione et sigilli nostri munimine roboramus. Si vero aliquis huic donationi contraire aut ecclesie Gemmeticensis possessionem perturbare presumpserit, ecclesia nostra ea qua preminet auctoritate malignatoris excessum corripiet. Actum in capitulo beate Marie Rothomagensis ecclesie scilicet metropolitane anno incarnati Verbi .M°. C°. LXXX°. IIII°.